ſempiternos, delicatiſsimosq́ proferet fructus, expandite ſinum:
mare iſtud pretioſiſsimis ~~[illegible]~~ conchilijs refertum innumeras
mittet margaritas, excipite: Deniq́ ſcaturigo hæc dulciſsima per-
ennes, ſuaviſsimosq́ propinabit latices: plenis haurite con-
gijs, toti liqueſcite, toti abſorbemini, tantamq́ Congregatio-
nis nobilitatem vobiſcum, ſoli enim poteſtis, vobis gratulamini.
Glorietur nunc Areopagus ob ſapientiſsimos incolas ſe pro-
verbio locum feciſſe, ut quisq́ boni conſilij Vir ex Areopago veni-
ſſe diceretur. Glorietur et veſtra Congregatio, quæ et ipſa
proverbio longè præſtantiori locum dedit, ut non ſolum doctrina,
ſed et pietate, probitateq́: imo et ſanctitate inſignes ex ea
prodire credantur. Ad coelos evehatur Platonis Academia
in qua olim ſapientia divendebatur, inſtruebat Ariſtippus,
docebat et Pythagoras. B.me Benedicte quid dicam de hac tua
familia? evehere (iam fateor) iam in ſublimem perfectionis ver-
ticem ~~x~~ evectam non valeo, certum tamen est, quod dico, hæc est
vera ſapientiæ forum, hæc occulta, altaq́ [illegible] academia
hæc divinæ, humanæq́ ſapientiæ ſeminarium. Faceſsit hinc
faſtuoſus, turgidusq́ Ariſtippi, Platonisq́ animus, illi ſuperbi;
in congregatione modeſtia regnat. Faceſsit arrogantiæ pater,
mordensq́ canis Diogenes, ille arrogans; in Congregatione Chri-
ana charitas. Exultat delicijs, cupedijsq́ ſaginatus Epicurus,
in hac parſimonia cum abſtinentia; ille voluptatis aucupium,
hæc temperantiæ ſacrarium. Glorietur deniq́ Equus Troianus
ſi poteſt tamen, quod quandoq́ glorioſiſsimos ad urbis Troianæ
excidium Bellatores ex viſceribus ſuis effuderit. Triumphet et Con-
gregatio, quæ non ad urbis excidium, ſed ad totius Orbis vaſtato-
rem, nequiſsimum illum tenebrarum Principem ſubvertendum